DE

AFFECTIONIBUS VALVULAE MITRALIS ADDITIS MORBI HISTORIIS DUABUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE GRYPHISWALDENSI

AD SUMMOS

IN MEDICINA,

CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA

HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XII. MENSIS APRILIS ANNI MDCCCLXVII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

OTTO ROEHREKE,

SAXO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

E. TOELPE, DR. MED. CHIRURG. ET ART. OBSTETR.
C. VOGT, REG. IUD. REFEREND.
G. BESSER, STUD. MED.

GRYPHISWALDIAE,

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE REG. ACAD. TYPOGR.

MDCCCLXVII.

PARENTIBUS DILECTISSIMIS

HASCE PAGELLAS

SACRAS ESSE VULT

FILIUS.

Inter omnes morbos epidemiis exceptis nulli vulgo magis timentur quam cordis. Si quis enim cordis quolibet morbo affectus esse dicitur omnes tantum abesse credunt ut curetur, ut brevi mortem exspectent. Neque vero falsa haec populi opinio; qua de causa praecipue medicorum est, pericula quae morbus habet, et diligentissime perspicere ac moderari, et si fieri potest avertere atque propellere. Itaque propositum mihi est de affectionibus partis cordis, de affectionibus valvulae mitralis pauca verba facere.

Priusquam autem ad propositum, quomodo affectiones illae oriantur, progrediantur, fininiantur, sanentur aggrediar, casus duos affectionum valvulae mitralis a me in nosocomio Gryphiswaldensi observatos enarrare mihi liceat, qui iis, quae obductione inventa sint, additis imaginem morbi maxime luculentam praebent.

Historia morbi I.

Anamnesis. Ludovicus E., rusticus viginti octo annos natus die XXVII. mens. Octbr. a. MDCCCLXVI in nosocomium receptus, mortuus die XXI. mens. Martii a. h. s. LXVII.

Aegrotus puerum se febrim habuisse et id quidem sine doloribus articulationum affirmat. Propter anginam pectoris miles conscribi non potuit. Inde ab auctumno proximi anni tussi sine sputis dyspnoe, palpitatione cordis affectus est, quae primo cum doloribus in regione cordis exstitisse dixit.

Proxima autem hieme dolores illi magis magisque aucti sunt. Ante aliquot hebdomades sputa haud parva sanguine mixta accedentibus nausea sine vomitu faecibus cruentis, et tum colore, tum frigore se habuisse profitetur. Qua valetudine, cum per sexdies laborasset effectum est, ut saepius ex doloribus ventris laboraret. Postremo eum vel continuo in lecto esse cum pectoris molestiarum, tum spirituum angustorum causa necesse erat. Eo accesserunt capitis ac maxime quidem frontis dolores cibi aviditate et faecibus normalibus. Propter tussim et anginam pectoris palpitationesque cordis aegrotus XXVII. die mens. Octbr. in nosocomium venit.

Status praesens. Ludovicus E. grandi corpore, musculis gracilibus, exiguo panniculo adiposso in cubito et genu reliquias Psoriasis guttatae habet; in cruribus nonnullae ulcerum cicatrices multis locis Pytiriasis versiculor inveniuntur. Temperatura

non aucta. Regiones claviculares contractae; thorax dolii modo conformatus aegroto respirante totus movetur cum magnis colli musculorum vexationibus. Percussione pulmonum nusquam sonus fractus efficitur. Auscultatione plerumque respiratio exigua, interdum autem crepitus, quem dicimus „feinblasiges Rasselgeräusch,“ percipitur. Cor percussione multo latius invenitur, pulsatio optime sub quinta costa usque trans lineam mamillarem sentiri potest; ictus cordis levatur (Pulsus epigastricus). Loco primi sonitus in apice perspicue spirantes strepitus qui basin versus minuuntur et secundus sonus purus percipitur. Secundus pulmonalis sonus validissimus est. Pulsatio parva, saliens, interdum duplex.

In tergo dextri pedis oedema parvum invenitur. Urina et faeces normales.

Quibus de causis „Insufficientia valvulae mitralis et stenosis ostii atrioventricularis sinistri“ dignoscitur.

Therapia: Aceti Digitalis ℥β
Morph. acet. gr. v.
ter quotidie gtt. xx.

Pridie Cal. Novembr. Scrutatione physicali modicus crepitus ab sinistro inferiore latere pulmonum. Tussis et sputa non multum aucta sunt.

Therapia: Infus. herb. digital. (e ʒβ) ℥vj
Horis binis intermissis cochlear maius.

Cal. Novembr. Crepitus strepens usque ad spinam scapulae extentus ab dextro quoque latere auditur.

D. II. eiusdem: Mane. Crepitus admodum vesica-

rum parvarum et longe strepentes in duobus pulmonibus post tergum usque ad spinam scapulae audiuntur. Vesperi partes illae tympanitice repressae sunt.

D. III. eiusdem. Urina turbida et flava cocta albumen ostendit. Microscopio epithelia et sedimenta acida urica continentia inveniuntur. Pulsus cordis auctus et prolongatus est, at is qui dicitur „frémissement cataire“ non accurate sentiri potest. Latitudo repressionis cordis XI. Ctm. longitudo IX.Ctmtr., itaque multo maior solito. Pro primo sono in apice asper valde flans crepitus, secundus sonus debilis et haud purus audiuntur. Crepitus in basi parvus. Secundus art. pulmonalis sonus auctus. Therapia eadem manet.

Usque ad diem VIII. mens. Novbr. valetudo secunda, eo autem die pulsus dicrotus.

Cum valetudo in dies melior fieri videretur, aegrotus die XV. eiusdem m. dimittitur, at postridie denuo receptus est.

Ther. Acet. digital. ℥β
Morph. acet. gr. ij
ter quotidie gtt. v.

Usque ad diem XV. mens. Decbr. valetudo fere eadem est; quo die repressio a sinistro latere post tergum totum pulmonem corripuit. Auscultatione spiritus vesicularis, rarissimis admodum parvarum vesicarum diruptarum mixtus strepitibus in summa inspiratione percipitur.

Usque ad diem XXX. eiusdem, cum se ex ca-

pitis doloribus et palpitationibus cordis vexari dicit, Acetum digitalis accipit. Quo die propter phlegmonen dorsi manus in stationem chirurgicam transmittitur. Phlegmone sanata, quum nonnunquam ex haemaptoe laboraret, d. XII. mens. Februarii a. LXVII in stationem medicinalem translatus, eadem fere valetudine, quae antea, utitur. Therapia igitur non mutatur.

Die XX. mens. Febr. Sputis aegroti flavissimis microscopio submissis non modo magna multitudo normalium puris corpusculorum sed etiam ea, quibus praeter rem granulatam pigmentum sanguinis inesset, inventa sunt. Ita accidit, ut infarctum pulmonum haemorrhagicum esse crederemus.

D. XXVIII. eiusdem. Aegrotus aucta tussi et raucitate premitur. Repressio cordis usque ad marginem sterni dextrum pertinet. In diastole quoque crepitus percipitur. Pulsatio Art. radialis parva est. In aorta per systolen crepitus translatus, per diastolen sonitus purus auditur. Percussione partium pulmonum posteriorum facta nusquam repressio invenitur. Auscultans in dextro latere strepitum in sinistra acutos strepitus percipit.

Hepatis repressio est in linea axillari 12 Ctmtr. in l. mamillari 11 Ctm. in l. parasternali 7 Ctm.

Therap. Tannini gr. j
Opii pur. gr. $\frac{1}{4}$

Bis quotidie pulvis et parvae doses Infusi digitalis.

Vesperi lavatio pedum adhibetur.

Calend. Mart. Aegrotus mane impos animi; concidit et facies sunt cyaneae.

Therap. Duae hirudines ad anum apponuntur.

Die II. eiusdem. Aegrotus se vehementissimis cordis palpitationibus se premi affirmat. Sinapismus in pectus adhibetur.

Die IV. eiusdem. In urina pigmentum bilis invenitur.

Die VI. eiusdem. Urina albumen continet. A. alvi doloribus et vehementi cordis palpitatione premitur. Therap. Sinapismus in pectus. Cucurbitae siccae in alvum. Iniectio Morphii acet. subcutanea.

Die VII. eiusdem. Vesperi. A. paullulum vomit.

Die IX. eiusdem. Urina secreta per vicenas quaternas horas est 600 — 700 KCM; acidissima cum rubro sedimento.

Therap. Elix. acid. Haller. ℥β
ter quotidie gtt. xv.

Die XII. eiusdem. Aegroti sputa cruenta, venter inflatus, spiritus deficiens, tussis dolorosa. In posterioribus pulmonum partibus strepitus catarrhalis percipitur; urinae multum albumen inest; hepar turgidum linea parasternali 13 Ctm. l. mamillari $12\frac{1}{2}$ Ctm. l. axillari 11 Ctm. Propter alvum non solutam accipit Infusum Sennae (e ʒβ) ℥vj.

Horis binis intermissis cochlear maius.

atque: Morph. acet. gr. ij.
Coccionel. gr. β.
Aqu. amygdatl. amar. ℥β.
ter quotidie gtt. xx.

Die XIII. eiusdem. A. se doloribus epigastrii, spiritu deficiente, sputis, quae salivalem et cruentum liquorem forment, affici profitetur. In dextro latere ab inferiore parte pulmonum repressio tres digitos lata spiritu suppresso, ibidem percipitur. In malleolis oedema est.

Therap. Infricatio Tincturae Iodi
Aqua Seltersi lacte mixta.

Die XVIII. eiusdem. Dolores aegroti magis magisque creverunt. Sputa cruentissima. Crura et regio hypogastrica oedematose turgent. A. neque sedere neque cubare potest ut semper situm mutare studeat. Doloribus capitis et regionis hypochondriacae dextrae premitur. Alvus non soluta ut infusum Sennae adhiberi necesse esset. Percussione pulmonis dextri sonus tympaniticus percipitur; respirationi sonanti similes bronchiales spiritus sonitibus crepantibus audiuntur.

Ther. Camph. trit. gr. iv.
Aether. sulph. ʒβ.

Dimidia hora intermissa gtt. vj.

Lavationes manus sinapi mixtae adhibentur.

Die XIX. eiusdem. A. praebet mane extremitates frigidas, pulsum parvum qui vesperi lentissimus et dicrotus erat. Strepitus cordis debiles; lingua contecta, alvus non soluta. Clystere immisso vesperi x—xv firma ac flava scybala magnitudine nucis avellanae nonnullis sanguineis lineis mixta deiiciuntur. Urinae praeter albumen sedimentum latericium inest. Sputa cruenta. Temperatura paullum aucta.

Therapia eadem manet.

Die XX. eiusdem. Oedema extremitatum inferiorum aliquanto auctum. Propter spiritus deficientes sedere tantum potest. Pulsus non ut antea frequens.

Die XXI. eiusdem. Exitus lethalis.

Quae in corpore obducto inventa sint. In corpore mortui oedema manus dextrae extremitatumque inferiorum animadvertitur; in cavum abdominis serum flavius effunditur. Diaphragmatis pars dextra ad superiorem, sinistra ad inferiorem marginem costae sextae pertinet. Omentum adiposum; hepatis superficies iniecta granulosa. In cavo pleurae dextro fulvum lucidis flocculis mixtum exsudatum icterico colore quod pulmonem dextrum et superiorem et posteriorem partem versus repressit. In superficie pulmonum et pericardii secretum fibrinosum versatur. Apex cordis amplificati ventriculo sinistro efficitur; in pericardio exsudatum haemorrhagicum. In utroque ventriculo inscriptiones quaedam tendineae. Venae sanguine turgent. In atrio et ventriculo sinistro frequens cruor et sanguis; in dextro atrio et ventriculo mollis crusta lardacea et sanguis. Corde remoto ex venis multus sanguis effunditur. Aqua arteriis aortae et pulmonali infusa non effluit. In atrio sinistro maxime dilatato musculi pectinati atrophici videntur. Ventriculus dexter, cuius substantia in basi $\frac{5}{8}''$ in medio $\frac{1}{2}''$ in apice $\frac{2}{8}''$ crassa, valde dilatatus est eiusque musculi papillare crassiores solito sunt. In ventriculo sinistro trabeculae deplanatae, chordae tendineae crassatae summae coaluerunt.

Aortae, quae aperta $2\frac{1}{2}''$ lata est, valvulae semilunares retactae, duae mediae, ubi nodulus durus insidet, coaluerunt, noduli autem Arrantii crassati. Utraque valvula mitralis cohaerens, sinus efficit. In valvulis spectantibus ventriculum versus calcationes et in apertis marginibus incrassationes culmi latitudine versantur. Praeterea incrustationes nonnullis locis asperae velut devulsae atque haematine recentibusque coagulationibus refertae. Endocardium cicatricosum. Musculi firmiores ac validiores fusci, auriculae cordis aliquantum dilatatae.

In lobulo superiore pulmonis sinistri firma ac densa basin versus infarcta magnitudine pomi, e quibus unum magnum est $2\frac{1}{2}''$ animadvertuntur. In apice inferioris quoque lobuli tale infarctum situm est; lobulus uterque veteribus adhaesionibus coalescit. Quum e bronchiis magnis secretum spumosum effluat partes posteriores oedematosae infarcta illa purpurea praebent. Quae dum persecantur aëre vacua et crasso sanguine impleta sunt et se orta esse thrombis arteriarum declarant.

Pulmo dexter, qui adhaesionibus coaluit, in superficie recens exsudatum flavum praebet. In lobulo compresso inferiore, cuius parenchyma laxum, tumor pomi magnitudine sentiri potest; item in ceteris lobulis, qui inter se omnes coaluerunt. In basi lobuli inferioris ecchymoses et infiltratio sanguinea animadvertuntur. Incisione facta lobulus superior siccus et compressus. Infarcta dextris similia et loca circumiacentia pulla. Vasa parva thrombis repleta.

Splen amplificatus altus 6″ latus $3^1/_2$″ crassus $2^1/_2$″ lardosus et modice sanguine plenus.

Ventris et duodeni tela mucosa rubra, plicae ruberrimae. Postquam reliquiae ciborum ilei remotae sunt, tela mucosa oedematosa et linearibus ecchymosibus tecta reperitur. Idem fere in intestino crasso animadvertitur, tela mucosa sola turgida et iniecta.

In superficie hepatis acini perspicui. Parenchyma pullum speciem quam vocamus „Muskatnussleber,“ praebet. In vasis sanguinis, in ductibus biliferis bilis aliquantum inest. Vesica fellea plenissima, vesica urinaria contracta.

Historia morbi altera.

Mauritius G., causiarum fabricator, 47 annos natus in nosocomium die IV. mens. Ianuarii h. a. venit, mortuus est die XXV. mens. Martii eiusdem anni.

Anamnesis. Aegrotus semper se bona valetudine fuisse usque ante auctumnum proximi anni, quo tempore cholera asiatica grassante ex diarrhoea vehementissima, cuius reliquiae adhuc supersint, laborasse profitetur, habet enim saepius magnos dolores circum umbilicum, deinde tenesmum quem sequitur defaecatio minima. Simulque interdum incontinentia urinae premitur, quum urinae crebra cupiditas existat, quam aegroto non celerrime mingente profluvium urinae involuntarium sequitur. Proximo tempore per tres hebdomades in nosocomio

quodam fuit, et propter ulcera pedis expediculis et propter molestias rheumaticas musculorum quibus nunc quoque maxime vexatur. Quo tempore tussim quoque una cum sputis se habuisse affirmat. In laboribus obeundis plerumque gravis spiritus erat. Palpitationibus cordis et congestionibus ad caput nunquam affectus semper satis bono ciborum appetitu erat. Genitalium morbo nunquam se vexatum esse narrat. Scrutatione aegroti in corpore satis bene nutrito et aliis rebus normalibus affectio valvulae mitralis et catarrhus interdum existens intestinorum perspicitur.

Therapia. Tinct. nuc. vomic. ʒj.
ter quotidie gtt. x.

Si cor vehementer palpitat ter quotidie acet dig. gtt. x. et vesperi Morph. acet. gr. $^1/_4$.

Die XXIII. eiusdem. Aegroti pedes satis oedematosi.

Therapia. Infus. herb. digit. (e gr. x.) ℥v.
Natr. acet. ℥j.
Spir. aether. nitr. ʒj.
Oxym. Scill.
Roob. Juniper. āā ℥β.
ter quotidie cochlear mains.
Praeterea. Ferri muriat. gr. j.
Chin. sulph. gr. ij.
Sacch. alb. gr. v.
Bis quotidie pulvis unus.

Cal. Februar. Strepitus systolicus in aorta percipitur.

Die VI. mens. Febr. Strepitus ille maior atque aliquanto validior, quam in valvula mitrali auditur. Inde stenosis ostii aortici coniicitur.

Die XII. eiusdem. Ad diarrhoeam propellendam aegroto iniicitur clysterium amyli opio mixtum. Praeterea dantur pulveres ferrei mixtura diuretica omissa, cordis affectiones maxime perspicuae.

Die XIV. eiusdem. Aegrotus quum surrexisset, vesperi pedes oedematosos habebat.

Cal. Mart. Diarhoeae substiterunt.

Die III mens. Mart. Aegroto per duas noctes epistaxi et vehementibus capitis doloribus vexato, coenanti subito cochlear manu excidit. Plane amens brachia circumiiciens incidit in statum soporosum, quod factum ad hyperaemiam cerebri pertinere credebatur. Glacies capiti imponitur, praeterea per semihoram acet. digital. gtt. vj. deinde infus. herb. digit. (e ʒβ) ℥vj. accipit.

Die V. eiusdem. Per catheterem hypertrophia prostatae invenitur; paullulum urinae effluit.

Therapia. Inf. fol. digit. (e ʒj.) ℥vj.
Kali nitr. ʒj.
binis horis intermissis cochlear maius.

Die IX. eiusdem. Aegrotus semper dormiens in lecto iacet; diarrhoea et incontinentia urinae eaedem quae antea. Ciborum appetitus modicus; pulsus et temperatura vix alia atque esse solent.

Die XVIII. eiusdem. A. vehementes dolores, si regio vesicalis premitur, sentit; urina catheterismo emissa acida. Vesicae aqua tepida iniicitur.

Die XXV. eiusdem. Valetudine aegroti nihil fere mutata sanguis modice initio faecibus immixtus novissimis diebus plurimus; quo factum est, ut aegrotus magnam sanguinis copiam amiserit. Interdiu dormiebat, noctu, ut contubernales dicunt, lecto excedens ambulat in cubiculo aliena loquens. Meridie sine symptomatibus extraordinariis vitam finit.

Quae in corpore obducto inventa sint.

Cadaver macerrimum sordidis flavis pigmentis et maculis miliaribus tectum debilem panniculum adiposum debilesque musculos ostendit.

Diaphragmatis pars dextra sub inferiore margine quintae costae, pars sinistra usque ad marginem superiorem costae vj.

Cor maius quam esse solet, horizontale situm est, apex in articulatione cartilaginis costae vj. cum costa sita formatur ventriculo sinistro. In pericardio nullum exsudatum. In atriis et ventriculis praeter ventriculum sinistrum crusta lardacea et cruor invenitur. Per valvulam mitralem facile duo digiti penetrant. Aqua in arteriam aortam infusa lente defluit. Musculorum substantia ventriculorum, crassior, (in ventriculo sinistro in basi $^5/_4$'' in medio 1'' in apice $^1/_2$'') et colore pullo est. Trabeculae et mm. papillares bene compositi. Valvulae semilunares aorticae in marginibus posterioribus crassiores, discissae, in solutis nodosae inter se coniunctae sunt atque nonnullas detusiones praebent. In valvula mitrali discissa est una chorda tendinea, quae atti-

net ad m. papillarem exteriorem, cuiusque pars superior amplificata est. Duae quoque laciniae valvulae mitrali adhaerent, quae ad alias chordas tendineas discissas attinent. Praeterea nonnullae chordae tendineae tenuiores solito adsunt. Quibus rebus factum est ut pars valvulae retraheretur. Inveniuntur autem ibidem etiam massae in calcem versae, quae in sinus valvularum spectant. In ventriculo dextro musculi solito magis tenues et colore sordido subfusco.

Lobuli pulmonum erant in partibus posterioribus fissiles, oedematosi, atque in lobulo sinistro inferiore erat recens infiltratio pneumonica. Praeterea emphysema inter lobulare imprimis in marginibus anterioribus inveniebatur et in bronchiis spumosum secretum, in arteria pulmonali recens coagulatio sanguinis.

Splenis amplificati parecnhyma subfuscum. Glandula superarenalis atrophica.

A rene sinistro breviore et crassiore capsula adiposa difficulter separari potest. Consistentia est lardosa. In substantia et glomerulis flavi flocculi calcis abscesserunt. Pyramides sunt parvae, aequaliter lividae ac helvolas lineas ostendunt. Tela mucosa crassior est solito.

Membrana pituitaria ventris et intestinorum est fissilis atque pituita rava contecta. In intestinis satis concoctorum ciborum et in duodeno copia ravae pituitae inest. In parte pylorica ventriculi maculae magnae et nigrae animadvertuntur. In intestino crasso, eo loco ubi processus vermiformis obliteratus oritur, retractio cicatricosa, qua in media ulcus

magnitudine denarii versatur. Membrana pituitaria pigmentata paulo supra alia ulcera ostendit, quae usque ad membranam muscularem penetrantia speciem ulcerationis folliculorum praebent. Similia ulcera in toto colo, in flexura lienali detusiones necroticae animadvertuntur. In ea parte recti ubi cum S romano cohaeret ulcus magnitudine thaleri, cui panni necrotici adhaerent. Tela mucosa inter ulcera sita fissilis atque in summis plicis rubra iniectione est. In toto ileo est multa pituita parva bilis. Glandulae Brunneri maiores solito sunt et in glandulis Peyeri aliquantum pigmenti.

In hepate acini parvi et helvoli adspiciuntur.

Vesica fellea bile fila ducente impleta est.

Meninges et cerebrum maxime sanguine carent.

Hos duos quos attuli casus spectanti de affectionum valvulae mitralis aetiologia, symptomatibus ceteris pauca verba facere mihi liceat.

Aetiologia.

Inter eas causas, quibus affectiones cum valvularum tum valvulae mitralis efficiuntur, endocarditis primum locum tenet; qua de causa nescio an non absurdum sit de inflammatione endocardii pauca loqui.

Ac primum quidem endocarditis semper fere comitatur acutum articulorum rheumatismum neque vero medicus ab aegroto tali morbo affecto discedet, sine scrutatione cordis. Quae inflammatio, nisi quo-

cunque modo potest deletur atque exstinguitur, accidit ut crassationes et luxuries ea re ortae facillime ulcerationes et defectus cum totius endocardii tum valvularum adducant.

Ex acuta illa endocorditide persaepe chronica fit, quae lenta atque occulta crassas et densas endocardii et valvularum crassationes et per eas ostii deminutionem efficit. Ac semper quidem sequuntur tales crassationes consecutivae abscessiones calcis, id quod in duobus a nobis expositis exemplis vidimus. — Praeterea valvularum oriuntur affectiones processu atheromatoso, qui etiam lentior quam endocarditis chronica a vasis ad valvulas transit.

Virchow[1]) commemorat aliud genus, quod esse videatur syphiliticis causis ortum, in quo cristae galli similes condylomatosae vegetationes aut villosae excrescentiae formantur.

At putare non possumus affectionis cuiusque valvularum endocarditidem causam esse; quae profecto sententia obductione comprobatur. Tum saepe in substantia pinguis et callosa degeneratio, quae saepe ad musculos papillares et chordas tendineas transgreditur, fit. Eaque re saepe musculi rugantur et scinduntur chordae tendineae. Ita functionem valvularum arctissime cum partibus iis cohaerentium deleri apparet, praesertim cum chordae tendineae discissae superiores, ut in Mauritio vidimus, saepe nodose crassiores fiant. Praeterea vitia valvula-

---

1) Virchow's Pathologie. V. 2. p. 322.

rum dicuntur morbis velut typho, febri puerperali ceteris adduci, qui ut toti organismo ita cordi resp. valvulis nocerent. Causa traumatica rarissima semper dubia esse debet.

Ac mihi quidem graviores perfrictiones esse videntur, quos maxime varia sequuntur. Velut perfrictio tum nullum aut minimum morbum tum febrim catarrhalem, tum rheumatismum musculorum vel articulorum tum torporem totarum extremitatum adducit, ita mihi interdum cor locus minoris resistentiae esse videtur, cuius primario morbo seriores valvularum affectiones efficiuntur. Hanc sententiam adiuvat, quod homines conditionis humilioris magis coacti adversas tempestates perpeti quam divites saepius eo morbo afficiuntur quam hi. Cuius rei documentum Ludovicus, qui cum praeter febrim nullo ex morbo laborasset, ad munera facienda vel adversissimam tempestatem pati debuerit.

Neque vero dubitari potest rheumatismum una cum endocarditide imprimis causam affectionum valvularum esse, et inveniebant

Barkley [2])	inter	79	casus	15	rheumatismo	affectos
Omerod	-	181	-	42	-	-
Corson	-	29	-	20	-	-
Bamberger	-	211	-	51	-	-

Itaque 34⁰.

Simul hoc loco non praetereundum est usque

2) Friedreich. Virchow's Pathol. V. 2. 337.

ad L. annum aetatis plerumque endocarditim processum atheromatosum in senioribus causam esse [3]).

Quod ad aetatem attinet, affectiones valvularum ante X. annum rara, saepissime inter XV—XXX annum.

De sexu sententiae variae.

Chambers [4]) nullam differentiam esse putat.

Bamberger [5]) invenit inter	230 cas.	118 v.	112 f.
Corson - -	41 -	28 -	13 -
Willigk - -	238 -	86 -	152 -

Aeque variae sunt sententiae de multitudine.

In instituto pathologico Pragensi erant

	inter sect. 5582	affect. valvul. 267
Foerster invenit - -	638 - -	72
Chambers - - -	2161 - -	367

circiter igitur 10$\frac{0}{0}$ [6]).

Symptomata.

Priusquam ad symptomata singularia eorumque causas veniam de anatom. et physiol. processu qui in affectionibus valvulae mitralis est nonnulla, dicere mihi liceat. Quae cum affectiones plerumque insufficientia et stenosi fiant, de his praecipue dicam. Ratio enim et effectus insufficientiae et stenosis inter se fere congruunt, insufficientia tantum sanguis

3) Bamberger, Krankheiten des Herzens. l. c. p. 184.
4) Virchow's Pathol. V. 2. p. 338.
5) Bamberger, Herzkrankheiten. p. 185.
6) Virchow's Pathol. V. 2. p. 338.

in sinistrum atrium recurret, qui stenosi non excurrit. Plerumque autem ut in Ludovico utraque affectio eodem tempore.

Si a ventriculo sinistro proficiscimur ille stenosi v. mitr. non satis sanguine per diastolen repletus non satis sanguinis in circulum maiorem pellere potest; quam rem sequitur contractio arteriarum elasticarum. Idem insufficientia v. mitr. fit, ubi systole omnem sanguinem non in aortam sed partim in sinistrum atrium repellit. In utroque igitur casu sinistrum atrium sanguine refertum partim dilatatur, partim crassius fit et retardationem minoris circuli eamque ob rem dilatationem ac hypertrophiam ventriculi dextri adducet. Hypertrophia autem efficitur ut sanguis in minore circulo maxime prematur, eaque re una cum maiore contractione atrii sinistri eodem tempore eadem fere copia sanguinis per ostium solito angustius effundatur; quibus duabus rebus quoque impeditur, ne sanguis in insufficientia regurgitet. Attamen retardatio sanguinis in circulo minore et maiore et validiores cordis contractiones adducuntur. Quae sanguinis retardatio compensatur illa a nobis iam commemorata dilatatione ac hypertrophia ventriculi dextri et sinistri atrii, tum maiore facultate resistendi vasorum circuli minoris, tum regulatione motionum cordis velut diurniore diastole ventriculi sinistri in stenosi valv. mitr., tum cumulatione sanguinis in organis parenchymatosis velut in hepate existente, denique sanguinis effusionibus e naribus, recto, utero. Omnia autem sym-

ptomata vel augeri, si una cum affectionibus valvulae mitralis stenosis ostii aortici velut in Mauritio adest, in quo affectio valvulae mitralis discissis nonnullis chordis tendineis et valvulis distractis effecta erat, luce clarius. Sicut autem semper maximam exaltationem et attentionem relaxatio et lassitudo sequitur, ita vitia valvularum aliis morbis non intercurrentibus degeneratio sequitur, qua tono cordis sublato vita exstinguitur. Quam ad degenerationem multum valet retardatio sanguinis in vasis coronariis.

Ita ut cor etiam vasa mutantur.

Pulsus radialis plerumque parvus atque in venis iugularibus saepe undulatio fit, quae oritur Bamberger auctore e concussione totius columnae sanguinis, Friedreich auctore aucta pressione qua sanguis atrio dextro contracto in venis cavis refertis premitur, ut valvulae venarum claudantur. Becquerel et Rodier contendunt sanguinem ipsum mutari et ita quidem ut albumen sine albuminuria, corpuscula sanguinis rubra, nitra et materies extractae minuantur.

Mutationes autem praeter cor gravissimae ac maxime perspicuae inveniuntur retardato in pulmonum vasis sanguine, quae retardatio iisque supra diximus, compensari non potest. Atque hic quidem angina pectoris et angusti spiritus nobis occurrunt ex quibus omnes affectionibus valvulae mitralis affecti praesertim cum graves labores subierint, laborant. Quae res efficitur compressione vesicularum

aërearum, cum sanguis lentius decarbonisetur. Ea dyspnoë Ludovicus premitur, qui postremo neque sedere neque cubare potuit. Praeterea ex ea re oriuntur chronici carrhi cronchiales, qui ad tempus exacerbescentes emphysema imprimis marginum pulmonum anteriorum adducunt. Cuius rei singulare Mauritius exemplum. Idem oedema, quod semper fere adest, praecipue posteriorum pulmonum partium praebet, cum in pulmonibus Ludovici infarcta haemorrhagica plura essent. In hoc quoque infiltratio pneumonica saepe intercurrens accessit. Digna est quae commemoretur compressio bronchi sinistri per atrium sinistrum hypertrophicum. Periculosissima praeter emboliam ac thrombosin in cerebro, sunt infiltratio serosa, hyperaemia, anaemia cerebri, illae ortae retardatione sanguinis, haec, quae in Mauritio animadversa est, sanguinis inopia. Affectionibus cordis parvis aegroti capitis doloribus vexati anxii, trepidi, morosi, magnis vis memoriae ac voluntas minuitur; huc accedit animi defectus, sopor, vel delirium et insania. Cuius rei optimum documentum Mauritius qui postremis diebus vitae amens ac rationis haud compos cubuit.

Quod si ad organa digestionis transgredimur, primum hepar turgidum sanguine quod dissectum speciem granulosam, id quod nos dicimus „Muskatnussleber“ praebet. Qua de causa aegroti crassiore et pleniore hypogastrico dextro se vexari affirmant. Quod cum sanguinis retardatione ductus biliferi comprimantur saepe icterus resorptione ortus invenitur.

Praeterea propter impeditam bilis defluxionem faeces retardatae sunt, cum retardatione sanguinis in tractu digestionis status catarrhales existant. Itaque ambae complicationes haud scio an in homine, cuius tonus organorum omnium iam minutus est velut in Mauritio erosiones telae mucosae intestini crassi una cum ulcerationibus diphtheriticis insequentibus efficere possint praesertim cum huc degeneratio renum accesserit. Semper enim in renibus turgor venosus et degeneratio invenitur, id quod obductione utriusque aegroti perspectum est, quam semper sequitur albuminuria. Nam diuresin solam maiorem sine albuminuria fieri ut Gendrin[7]) contendit, cum aliis tum his duobus casibus satis refutatum.

Hyperaemia denique lienis formatione corpusculorum sanguinis rubrorum nonnihil impedita nutritioni nocere potest.

Saepissime retardatione sanguinis animadvertuntur cyanosis, quae una cum ictero resorptione orto cutem aegroti viridem tingere potest, et oedema maxime inferiorum extremitatum et ascites.

Totus ille symptomatum complexus scrutatione physicali comprobatur.

Adspectione aegrotum affectionibus valvulae mitralis laborantium latior pulsus cordis cognoscitur, simul cor pulsans lineam axillarem versus animadvertitur. Manu imposita saepe id quod dicitur „frémissement cataire" sentitur. Percussione cor maius invenitur id quod in duobus nostris casibus apparebat idque plerumque a III usque ad VI-VII

7) Gendrin, Uebersetzungen von Krupp. p. 104.

spatium intercostale atque item a linea mamillari supra marginem sterni dextrum pertinet.

Symptomata autem gravissima nobis a cordis sonitibus occurrunt, qui in nostris quoque exemplis cognita sunt.

Cum ex sententia quae nunc valet, sonitus cordis vibrationibus valvularum efficiantur, apparet insufficientia valvulae mitralis per systolen ventriculi regurgitante sanguine valvulas extraordinare vibrare. Qua de causa crepitus systolicus praecipue in apice cordis. Crepitus autem causae ut in Mauritii corde vidimus fluctuantes chordae tendineae: Eo accedebat ut chordis tendineis nonnullis discissis distorsio valvulae efficeretur, quare valvulis certe per vitam non satis clausis, in valida contractione ventriculi sinistri, ut stenosis ostii aortici superaretur, regurgitatione sanguinis strepitur factus est. Per diastolen autem sanguis sistenosis adest per angustius semper fere asperum ostium maiore celeritate fluit, quae res causa diastolici crepitus, qui et ipse clarissime in apice cordis audiri potest. Qui strepitus saepius non percipitur velut in debilibus et anaemicis hominibus et crebro tum demum auditur ubi motione corporis sanguis celeriter fluit. Sonitus aortae debiles et modo si velut in Mauritio simul stenosis ostii aortici est, auctus strepitus systolicus exauditur. Arteriae pulmonalis secundus sonus valde auctus per validum pulsum sanguinis, qui ut supra vidimus in circulo minore solito magis premitur, contra valvulam tricuspidalem. In primo sonitu saepe cre-

pitus oritur, extraordinariis vibrationibus arteriae pulmonalis quae dilatata tono privata est Saepe praeterea motiones cordis arythmicae inveniuntur quas Ill. Rühle „Delirium cordis vocavit."

Diagnosis.

Cum in symptomatibus supra commemoratis, tum in physicali scrutatione posita est.

Praeterea autem dicendum est in affectionibus valvulae mitralis perscussione repressionem cordis rotundiorem, in pericarditide magis conicam inveniri.

In auscultatione affectio valvulae mitralis cum stenosi ostii aortice permutari possit. Hac in re locus, ubi strepitus optime auditur et secundus arteriae pulmonalis sonus discrimen facit. Hic autem sonus auctus pleuritide, tuberculosi, emphysemate interdum ortus est; in emphysemate et saepe et diligenter aegrotus observandus est.

Prognosis.

Omnia symptomata complexi prognosin infaustam dicere debemus. Idonea enim sola therapia fieri potest, ut mala consequentia affectionem valvulae mitralis ad tempus reprimantur et vita prolongetur.

Therapia.

In affectionibus valvulae mitralis velut in aliis

morbis necesse est de singulorum aegrotorum natura caute quaeri. Ac primum quidem diaeta salubris, quae in hydraemicis et anaemicis aegrotis roborans esse debet, et moderatio in edendo et bibendo adhibenda est. Alcohol removendum est. Gravissima est regulatio circulationis sanguinis. Qua in re nullum medicamentum melius quam herba et folia digitalis (illud remedium in nostris quoque casibus optimo eventu adhibitum est) quae degeneratione cordis non effecta etiam ad diuresin adiuvandam egregia sunt. Narcotica, velut Morph. acet., Opium, Veratr. vir. alia, si aegrotus doloribus regionis cordis vexatur, adhibenda. Actione cordis debili ac tarda excitantia, vinum, moschus, cortex Chinae et ad secretionem cutis augendam vesicatores et lavationes eximia.

Venaesectio, qua status semper fere periculosior tono organorum laborante fit, quam maxime prohibenda est. Et quamquam interdum in acutis pulmonum oedematibus et in hyperaemia cerebri efficienda est, tamen primum mitioribus remediis uti debemus, dantes aegroto emetica et derivantia.

Catarrhis bronchialibus et ceteris pulmonum affectionibus quam maxime occurrere debemus.

Si ex anaemia symptomata cerebri existant, aegrotum cubare necesse est. Hyperaemiam hepatis et catarrhum ventris et instestini diaeta idonea et balneae velut Kissingensis, Marienbadensis, Homburgensis levant.

Hyperaemia renum cucurbitis regioni renum

impositis et adiuvanda diuresi, oedemata autem extremitatum positione apta et derevantibus remediis repellenda sunt.

VITA.

Natus sum Otto Röhreke Oscherslebiae a. h. s. XLII mensis Decembris die XXII, patre Andrea matre Augusta, e gente Kunze, quos adhuc superstites pio gratoque animo veneror. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium Halberstadiense per IV annos, per unum annum gymnasium Magdeburgense quod Wichert directore adhuc floret, frequentavi. Maturitatis testimonio ornatus Paschali tempore anni MDCCCLXIII Berolinum me contuli, ubi in numerum civium universitatis Fridericae Guilelmae receptus studiis medicis per tria semestria operam dedi. Auctumno anni LXIV Grpyhiae ab Ill. Baier, rectore magnifico civibus academicis adscriptus et apud Ill. Pernice decanum gratiosi medicorum ordinis spectatissimum nomen professus quinque semestria disciplinis medicis incubui.

Disserentes audivi Berolini:

Ill. Lieberkuehn: de osteologia.
Ill. Schultz-Schulzenstein: de botanice; eundem secutus sum in botanicis excursionibus.
Ill. Dove: de physice experimentali.
Beat. Mitscherlich: de chemia anorganica.
Ill. Reichert mihi dux fuit in cadaveribus rite dissecandis.
Ill Troschel: de vulneribus.
Ill. du Bois-Reymond: de physiologia.

Gryphiae:

Ill. **Budge**: de anatomia generali, et physiologia.
Ill. **Limpricht**: de chemia organanica.
Ill. **Schultze**: de neurologia et angiologia.
Ill. **Grohe**: de anatomia pathologica; idem mihi dux fuit in cursu anatomiae pathologicae.
Ill. **Mosler**: de pathologia et therapia; de auscultatione et percussione; de psychiatria.
Ill. **Pernice**: de artis obstetriciae theoria; de morbis neonatorum.
Ill. **Bardeleben**: de chirurgia, de akiurgia; idem mihi dux fuit in operationibus in cadavere instituendis.
Ill. **Laurer**: de materia medica, de parte fascias rite alligandi.
Exp. **Haeckermann**: de medicina forensi.
Exp. **Heineke**: de syphilide, de morbis cutis, de fracturis ossium.
Exp. **Schirmer** mihi dux fuit in cursu ophthalmoscopico et in diagnosi morborum oculi.

Clinicis interfui: medicis Ill. **Mosler**, obstetriciis Ill. **Pernice**, chirurgicis Ill. **Bardeleben**.

Quos viros omnes utqui maxime de me meritos grata memoria prosequi non desinam.

THESES.

I.

Affectiones valvulae mitralis et corpus et animum affligunt.

II.

Sectio alta optimum lithotomiae genus.

III.

Infusio gypsi ceteris methodis ad partes corporis immobiles faciendas, praeferenda est.

IV.

Post herniotomiam vel post taxin herniae incarceratae opium est adhibendum.